



LATIN NYELVŰ LAP A TANULÓ IFJÚSÁG SZÁMÁRA

Prodit Budapestini, I. Verpeléti-út 22. decies in anno.  
Pretium praesolvendi annum 4 pengő 80 fillér.

Megijenik Budapesten, I. Verpeléti-út 22. tízszer egy  
évben. Előfizetési ára évi 4 pengő 80 fillér.

## GOETHE.

Commemoratio centenaria.  
(1832—1932.)

Centum iam anni praeterierunt, ex quo summus Germaniae poëta et homo doctissimus famaque nominis ubique terrarum notissimus Goethe mortem obiit. Qua morte ardentem facem rationis humanae extinctam esse quis est, qui nesciat? Summa sunt poëtae merita, ob quae nunc per totam Germaniam celebratur atque lugeatur. Lucem magnam fuisse non solum Germanorum, verum etiam totius humani generis certum est.

Vir fuit ille, cui parem haud facile inveniemus, cuiusque memoriam diuturnitas<sup>1</sup> temporum nunquam vetustate<sup>2</sup> tol-

let.<sup>3</sup> Opera eius urbi et orbi proclaimant aere perennius ceterarum<sup>4</sup> rerum<sup>5</sup> studia<sup>6</sup> ex doctrina<sup>7</sup> constare, at magnum poëtam natura ipsa valere<sup>8</sup> et mentis viribus excitari et quasi spiritu<sup>9</sup> quodam divino<sup>10</sup> inflari.<sup>11</sup> Inde proverbium: poëta non fit, sed nascitur. Quare etiam Romani «sanctos» appellabant poëtas, quod quasi deorum dono atque munere nobis com-



<sup>1</sup> végtelenség <sup>2</sup> tartósságával eltöröl (emlékét az idők végtelen ségenem semmisít meg)  
<sup>3</sup> egyéb tudományuk (bölcselő, ékesszólás, jog) tanulmánya <sup>4</sup> tanulás által szerzett ismeretek <sup>5</sup> a költő csak a természettől kapja erejét <sup>6</sup> isteni ihlet szállja meg.

Per.  
Lat  
020



mendarentur.<sup>7</sup> Cum res ita se habeat, quid mirum, si divino spiritu afflatum esse Goethe profitentur omnes litterarum periti unum atque idem in hac re sentientes, quo ad usque praestantia<sup>8</sup> ac dignitas doctrinae prorsus inter mortales permaneat. Opera immortalia posteritati reliquit, qua de causa per omnia saecula fama vivet et ore legetur omnium populorum, qui unquam humanitate imbuti<sup>9</sup> erunt. Quae cum ita sint, mirum non esse videtur, si in destinatorum<sup>10</sup> numero habeatur, qui viam novae progeniei muniunt animosque ad tempora ventura praeparent. Est igitur poëtae nomen indelebile, qui dignus omnino habendus, cuius vitae<sup>11</sup> gradus<sup>11</sup> paucis collustrentur.<sup>12</sup>

Anno MDCCXLIX. Francofurti ad Moe-  
num<sup>13</sup> in Germania in lucem editur. Side-  
rum constellatio<sup>14</sup> — Iovis ac Veneris —  
super cunabula<sup>15</sup> infantis secunda fuisse  
dicitur. A parvulis studiis humanitatis ac  
litterarum deditus tantos in iis progressus  
fecit, ut vir omni bona arte, humanitate,  
ingenio et litteris ornatus esset. Sedecim an-  
nos natus iam in academia Lipsiana versa-  
tur litterarum addiscendarum causa. At ubi  
ex pueris excessit, sua sponte se ad scribendi  
studium contulit aceleriter antecellere om-  
nibus ingenii gloria coepit. (Goetz von Ber-  
lichingen, Werther). Praeter urbem patriam  
Lipsia, Wimaria,<sup>16</sup> Argentoratum<sup>17</sup> praeci-  
puae stationes vitae poëtae erant. Post-  
quam adolescentia deferuit,<sup>18</sup> Wimariae  
in aula principis commorabatur et tem-  
pus cum in itineribus faciendis, tum in  
operibus concinnandis<sup>19</sup> consumpsit, qui-  
bus ingentem famam ac gloriam sibi com-  
paravit (Egmont, Tasso, Iphigenia). Grandis  
natū finiverat opus perfectissimum,  
quod inscribitur «Faust». Quo opere, cum  
quaestionem humanae felicitatis difficilem  
solvere conaretur, corona splendens sine  
ullo dubio poësi atque philosophiae poëtae  
imposita est. Maximo opere exacto pha-  
rum humani generis aetate ingravescente

extinctam nec non aevum litterarum Ger-  
manicarum classicum sublatum esse statis  
constat.

Quid de hoc ingenio singulari dici pau-  
cis potest? Mira in eo varietas diversaque  
sane natura inerat. Vir fuit omnibus rebus  
praecellentissimus, qui suum nomen in  
universal historia perpetuum inscripsit.

Napoleon Erfordiae,<sup>20</sup> cum salutandi gra-  
tia ad eum Goethe venisset, haec verba  
comitibus edidit: «ecce hominem!» («Voilà  
un homme!»)

Quoniam in memoriam poëtae, cuius  
numen nunquam requiescat, sollemnia  
hoc anno locis celerabuntur omnibus,  
ubi poëtarum nomen et sacra Musarum  
delubra coluntur, nos quoque Hungari  
iustum ei honorem habentes dies festos  
agamus et laudes principis poëtarum ce-  
lebremus oportet.

*Sebastianus A. Módry.*

<sup>7</sup> ajánlja öket pártfogásunkba    <sup>8</sup> kiválóság    <sup>9</sup> eltölt,  
<sup>áthat</sup>    <sup>10</sup> aki vmiire hivatott    <sup>11</sup> pályafutás    <sup>12</sup> meg-  
világít    <sup>13</sup> Majna    <sup>14</sup> a csillagok állása    <sup>15</sup> bölcse    <sup>16</sup> Wei-  
mar    <sup>17</sup> Strassburg    <sup>18</sup> «elviharzott»    <sup>19</sup> megfogalmaz,  
költ    <sup>20</sup> Erfurt.



## LECTORIBUS MINIMIS.

Musca et mater eius.

— Audin, mea filia? — ait musca mater;  
— avus tuus melle suffocatus<sup>1</sup> est, pater  
cicutam<sup>2</sup> gustavit, frater in naso<sup>3</sup> iudicis  
percussus est; itaque toti tuo generi ligurri-<sup>4</sup>  
tio<sup>4</sup> et impudentia damno fuerunt. Exue,<sup>5</sup>  
quaeso, haec duo vitia periculosa.

— Minime vero<sup>6</sup> — respondet improbas;  
— nam in hoc consistit omne gaudium et  
beatitudo nostra. Sed prudentior ero maio-  
ribus neque facile habebo<sup>8</sup> infortunium.<sup>8</sup>

His dictis audacter in sinu<sup>9</sup> lactis invo-  
lat et... suffocatur.

<sup>1</sup> megfullad    <sup>2</sup> bürök    <sup>3</sup> orr    <sup>4</sup> nyalakodás    <sup>5</sup> el-  
hagy    <sup>6</sup> Hogy is ne!    <sup>7</sup> cedar    <sup>8</sup> rajta veszt    <sup>9</sup> köcsög.

**Incendium.<sup>10</sup>**

Ignis in oppido coortus erat. Vigiles<sup>11</sup> ad restinguendum<sup>12</sup> incolas hortabantur.

— Evidem — ait unus — ignem restinguere paratus sum, sed quid est unus ad<sup>13</sup> flamas rapidas?

— Mihi vero — inquit alter — vas est pusillum;<sup>14</sup> quid est ad tantum ignem urceolus<sup>15</sup> aquae?

— Mene restinguere? — clamat tertius, — cum multi mei similes compressis manibus<sup>16</sup> incendium spectent?

— Ego pol irem — ait quartus, — sed cum domus mea sit remotissima,<sup>17</sup> facile interim<sup>18</sup> fieri potest incommodum.<sup>19</sup>

Quintus ita fatur:

— Ego vero sum maxime obesus;<sup>20</sup> non audeo turbae immisceri,<sup>21</sup> ubi facile comprimerer.<sup>22</sup>

— Ego sum faber tignarius<sup>23</sup> — inquit sextus aequo animo;<sup>24</sup> ego tum messem<sup>25</sup> meto,<sup>26</sup> cum incendium est.

Ita populosa<sup>26</sup> opulentaque<sup>27</sup> civitas paene deflagravit.<sup>28</sup>

**Liber et Neptunus.**

Liber et Neptunus inter pocula corixati erant. Ea fuit controversia, utrum vinum in vita, an aqua plus expediret.

— Litem dirimendam — inquit Liber — primo homini, in quem Mercurius inciderit, temere committamus.

Mercurius in Orcum demittitur. Forte fortuna cauponem deprehendit. Qui cum prudens et callidus esset, veritus, ne deorum alterutrum laederet, vinum aqua commisceret. Ita pacem inter eos conciliat. *Val. Fehér.*

10 tüzvész 11 ór 12 olt 13 képest 14 kicsi 15 korsócska  
16 ölbetett kézzel 17 távoleső 18 közben 19 kár  
20 elhízott 21 vegyül 22 megnyom 23 ács 24 közönyösen 25 arat 26 népes 27 gazdag 28 leég.

*Ubi mores deteriores increbescunt in dies,  
Ubi, qui amici, qui infideles sint, nequeas per-*

*noscere,*  
*Ubique id eripialitur, animo tuo quod placeat*  
*maxime:*

*Ibi quidem si regnum detur, non est capita*  
*civitas.*

(*Plautus.*)

**EXEMPLA CLARORUM VIRORUM**

*Quis non oderat* Vedium Pollionem, quod murenas<sup>1</sup> sanguine humano saginabat<sup>2</sup> et servos, si quid offenderant, in piscinam<sup>3</sup> inici iubebat? Cum aliquando apud eum cenaret Augustus, unus e servis fregit vas crystallinum. Vadius eum rapi et murenis obici iussit. Puer e manibus evasit et ad pedes Caesaris confugit. Caesar nova crudelitate motus puerum mitti et omnia vasa crystallina coram se frangi et in piscinam inici iussit. *Seneca*

*Imperator Hadrianus* oculum servi stilo vulneravit. Postea cum vidisset eum ex illo vulnere unoculum esse factum, ad se vocavit et «Pete a me — inquit — munus pro amisso oculo.» Cum ille miser taceret, rursus hortatus est Hadrianus, ut quidquid vellet, peteret. Tum ille: «Nihil ego — inquit — peto, sed desidero et opto oculum, quem amisui. Enimvero quod munus est, quo oculus amissus compensari possit? *Galenus.*

*Adolescens quidam* scholam Zenonis diu frequentaverat. Ubi domum rediit, interrogavit eum pater, quid sapientiae didicisset. Ille: «Rebus ipsis — inquit — tibi ostendam.» Cum pater hac re indignans ei verbera<sup>4</sup> ingreret,<sup>4</sup> filius: «Hoc — inquit — didici: iram patris aequo animo ferre». *Aelianus.*

*Croesi*, Lydorum regis filius formā quidem et ingenio praestans, sed a primo natali die mutus fuit. Cum Persarum exercitus Sardes, urbem regiam expugnasset et unus e Persis educto gladio impetum in regem faceret, adolescens vitae patris timens ore diducto clamare nitebatur eoque nisu vitium linguae rupit et inclamavit hostem: «Ne occidas regem!» Hostis gladio reconditio vitae regis pepercit. *Herodotus.*

*Civitas Atheniensium* praestantissima fuisse traditur. Eius civitatis sapientissimus fuit Solon ille, qui leges scripsit. Is cum interrogaretur, cur nullum supplicium constituisset in eum, qui parentem necavisset, respondit: «Evidem putavi neminem id facturum esse». *Herodotus.*

*Pelopidas*, qui filium infamem habebat, Epaminondam reprehendit, quod uxorem non duxisset. «Male — inquit — patriae consulis, quod liberos non relinquis.» Cui Epaminondas: «Vide — inquit — ne tu peius

<sup>1</sup> pettyegett ángolna <sup>2</sup> hizlal <sup>3</sup> halastó <sup>4</sup> megver.

consulas, qui tales filium relinquas. Neque vero stirps mihi deerit: nam relinquimus pugnam Leuctricam ex me natam, quae non modo mihi superstes, sed etiam immortalis erit.»

Nepos.

## ELEGIA STUDIOSI.<sup>1</sup>

Sors mala persecutus iuvenum tales prope semper,  
Qui artibus et gravibus dant studiis operam.—  
In sudore paro Graecum vel Teutonicum, sed  
Praeceptor mandat dicere, vix placito  
Nomine tangentis quaenam res sit reputanda?<sup>2</sup>  
Perplexus<sup>3</sup> sileo. — Si studeo viribus  
Intentis physicam, nullus dubites, Ciceronis  
Uel Taciti vitam commemorare<sup>4</sup> iubet  
Me cras clamosus simul et gravis ille magister.  
Sic tardam trudit una dies aliam. [quam.—  
Semper id indagant,<sup>5</sup> quod nescio; quod scio, nun-  
Adde, quod insolito me rediisse domum  
Nonnunquam vidit vafer<sup>6</sup> et vigil ille pedellus.—  
Tandem quum torrens obruit arva calor  
Ac etiam crudo<sup>7</sup> pecori iam gratior umbra,  
Attritus studiis quaero et ego gelidum  
Carice<sup>8</sup> saeclusum stagnum; sed et hinc sine corde  
Custos, ut vetito tempore, fuste abigit. —  
Grandem Danubium noli audax visere, sed nec  
Eiusdem in fluctus mergere te properes, [latere  
Si memor es cameram magicam, hic quoque posse  
Atque vagos sonentes<sup>9</sup> pingere lucis ope.  
Caetera de tabaco, de pensis suspiciois<sup>10</sup>  
Non libet ut dicam, quae fieri soleant.  
Haec luit esurie<sup>11</sup> sons, aut de carcere duro. —  
Est vetus effatum: «Uégén csattan az ostor!»  
Finiis scholis resonat domus inclita matris  
Lamentis, flentiis dedecus uti suum;  
Sed crepitat dorsum pariter pigri nebulonis  
A flagris patris, qui celer haec repetit,  
Grandi ira candens ob classes indicis atras.  
Post hoc «Salve calens» protinus insequitur  
Patris praceptum: «Pecori miser invigilabis,  
Et foenum<sup>12</sup> sit item mox simul in cumulis!»<sup>13</sup>  
O socii cari, sic dicta vacatio talis  
Indigna optari; discite sorte mea!

X. Y. Colocensis.

<sup>1</sup> a diákok keservei <sup>2</sup> mit kell értenünk <sup>3</sup> megzavarodottan <sup>4</sup> értekezik, elmond, felel <sup>5</sup> puhatol, kérdez <sup>6</sup> hamis <sup>7</sup> érzéketlen <sup>8</sup> sás <sup>9</sup> bűnös <sup>10</sup> gyanús, gyanút keltő <sup>11</sup> éhezés <sup>12</sup> széna <sup>13</sup> halom.

## Valentinus Balassa.

De anno natali et solo Valentini Balassa adhuc ambigebatur inter historiam litterarum Hungaricarum consribentes. (Vide novissimam [1930] Historiae Litt. Hung. ab Eug. Pintér conscriptae editionem Toni. II. P. 250.). Omnis nuper ambiguitas sublata est a Michaeli Zákonyi dr., custode Bibliothecae Archiepiscopalii Strigoniensis,<sup>1</sup> qui in Bibliotheca Archiepiscopalii repperit Biblia Sacra familiae Balassianae, in quae Andreas Balassa, Valentini patruus,<sup>2</sup> omnia, quae in familia acta ac facta sunt, diligentissime retulit. Michael Zákonyi dr. quae in illis Bibliis nova ad vitam Valentini Balassa pertinentia invenerat, in acroasi<sup>3</sup> autuninali Societatis<sup>4</sup> Litterarum<sup>4</sup> et Artium<sup>4</sup> Balassianae<sup>4</sup> a. d. VII. Id. Nov. facta in lucem protulit. Itaque haud alienum atque ab re esse duco vitam Valentini Balassa telae<sup>5</sup> orationis intextis<sup>6</sup> novorum inventorum subteminibus<sup>7</sup> breviter enarrare.

Certo igitur constat teste locupletissimo<sup>8</sup> Andrea Balassa Valentinum Balassa anno 1554. a. d. XIII. Kal. Nov. in oppido Zólyom natum esse.

Si Valentinus Balassa summo loco ortus illis Turcicae dominationis turbidissimis<sup>9</sup> temporibus vitam militarem capessivit, quid mirum? Adulescens ergo inter milites Agrienses<sup>10</sup> meruit. Hic nequicquam amore<sup>11</sup> Annae Losonczy deperibat.<sup>11</sup> Anno 1575. in bello, quod rex Maximilianus cum Stephano Báthory, principe Transylvaniae gessit, manu Balassiana fusa fugataque ipse fortiter pugnans vulneratus capit. Anno 1578. ex captivitate redux iterum in arce confiniorum<sup>12</sup> Agriensi militans fortia facta edidit. Post mortem parentum Christianam Dobó, conosbrinam<sup>13</sup> suam uxorem duxit. Quod matrimonium ei cum male cessisset litibusque obrutus<sup>14</sup> esset plurimis, solum<sup>15</sup> vertit.<sup>15</sup> Anno 1589. relicta Hungaria in Poloniam

<sup>1</sup> esztergomi főszékesegyházi <sup>2</sup> nagybátyja <sup>3</sup> felolvasás <sup>4</sup> Balassa Bálint Irodalmi és Művészeti Társaság <sup>5</sup> fonal <sup>6</sup> beleszű <sup>7</sup> szövedék <sup>8</sup> tekintélyes <sup>9</sup> zavaros, nyugtalan <sup>10</sup> egri <sup>11</sup> halálosan szerelmes <sup>12</sup> határ, vég <sup>13</sup> unokatestvér <sup>14</sup> elhalmoz <sup>15</sup> elkölözök.

concessit, quam quattuor fere annis multis exantlatis<sup>16</sup> aerumnis<sup>17</sup> totam pererravit erroribus ad Gedanum<sup>18</sup> Oceanum usque delatus. Anno 1593. revertit in patriam, ut bello contra Turcos interesset. Anno 1594. cum Strigonium oppugnaretur, a. d. XIV. Kal. Iun. femur<sup>19</sup> tormento<sup>20</sup> ictum est. Andreas Balassa in Biblis memoriae prodidit Valentini Balassa a. 1594. a. d. III. Kal. Iun. vulnere absumptum esse culpam in chirurgos<sup>21</sup> conferens, qui vulnus negligenter curavissent, cum feminibus<sup>19</sup> transfixis<sup>22</sup> os tamen illaesum<sup>23</sup> esset. Ex quo patet Valentini Balassa ex cruento<sup>24</sup> veneno<sup>24</sup> affecto<sup>24</sup> periisse.

Valentinus Balassa lyricorum, qui saeculo XVI. in Hungaria floruerunt, est maximus. Tribus lyricorum carminum generibus, religiosis, militaribus et amatoriis excelluit. Suae aetatis etsi poëtarum externorum, imprimis Italicorum et Neolatinorum vestigiis<sup>25</sup> institerit,<sup>25</sup> poësi Balassiana tam suae sibi indolis<sup>26</sup> propria quaedam nota impressa est. In maxima ei laude ponendum est in Hungarica poësi rudi adhuc atque dura novos edidisse sonos, carminibus lyricis vigorem attulisse, sermonem poëticum tersiorem,<sup>27</sup> elegantiorum reddidisse, numerosque sollerter variasse.

Carolus Ács.

<sup>16</sup> elszenvéd, elvisel <sup>17</sup> viszontagság <sup>18</sup> Danzig  
<sup>19</sup> comb <sup>20</sup> lövedék, golyó <sup>21</sup> sebész <sup>22</sup> keresztülmegy <sup>23</sup> sértetlen <sup>24</sup> vérmezégezésben <sup>25</sup> nyomokain halad <sup>26</sup> jellem <sup>27</sup> csinos.

## Corona vitae. (6.)

Ad fabulam *Felicit Nabor* Latine scripsit  
Valentinus Fehér.

Ante quandam domum stabant mulieres eum deflentes. Iesus cum lacrimas earum videret, aegerrime erecto<sup>1</sup> corpore<sup>1</sup> misericorditer et amanter in eas intuitus est.<sup>2</sup> Mulieres, in quibus erant Claudia Procula et Maria Magdalena, in genua procubuerunt et supplices<sup>3</sup> manus extenderunt. Marcus, qui prope astabat, haec verba audivit:

— Filiae Jerusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete et super filios vestros.

Haec verba tam mirabilia, tam consolatoria et sollemnia<sup>4</sup> fuerunt, ut ex ore Dei sonare

viderentur. Mox tamen vidit Marcus Iesum sub cruce collapsum enixe<sup>5</sup> surgere conari.

Repente per milites femina proruens aspectu misericordiae pleno ad eum iacentem aggressa, linteum<sup>6</sup> in frontem et os eius pressit.

Iesus leni risu bonitatem eius remuneratus est.<sup>7</sup> Tum carnifices ictibus gladiorum et pugnorum<sup>8</sup> sublevatum Iesum proprius<sup>9</sup> agebant.

Marcus vultu paenula velato in lapide resedit et amare flevit. Cum rursus suspexisset, femina, quae vultum Domini terserat, propter eum genibus nitebatur et extentum linteum, quod digitis tenebat, defixis<sup>10</sup> oculis<sup>10</sup> intuebatur. Marcus caput inclinavit visurus, quid illa tantopere miraretur; cumque rem vidisset, exceptus poplitibus balbutit:<sup>11</sup>

— Miraculum, miraculum!

In linteo inscriptus erat vultus Domini comis, benignus, patiens, spineis sertis cinctus, guttis sanguinis opertus, tamen augustus ac divinus. Labra erant semiaperta;<sup>12</sup> oculi, in quibus dolor immensus simul et misericordia cernebatur, benigne atque amanter aspiciebant.

Marcus nunquam antea talem vultum viderat. Is erat Dei vivi. Labris linteum tetigit et capite declinato suppressa voce iteravit verba, quae in domo Lazari audierat: «Pater noster»...

Femina levato corpore et linteo sub vestem abdito e conspectu<sup>13</sup> evanuit.<sup>13</sup>

Tum Marcus secutus est agmen triste in illa via, qua Dominus incedebat in Golgotham.

## 7. Golgotha.

Totus collis differtus erat hominibus clamosis,<sup>14</sup> ululantibus,<sup>15</sup> iratis, fanaticis,<sup>16</sup> qui continenter clamabant:

— Crucifige eum!

Marcus aliquando Romae viderat servum, qui dominum obtruncavisset,<sup>17</sup> in crucem tolli populumque in illius doloribus exultare. Exinde spectaculum abominatus<sup>18</sup> nunquam amplius in circum intraverat.

At vulgus, quod Iesum Nazarenum ad supplicium ducebat, ferocius cruentiusque esse Romanis arbitrabatur; cum Magister iustus esset semperque beneficia Iudeis praestitisset, tamen morti destinatum esse.<sup>19</sup>

<sup>1</sup> felegyenesedve <sup>2</sup> néz <sup>3</sup> könyörgő <sup>4</sup> ünnepélyes erőlködve <sup>6</sup> keндő <sup>7</sup> megjutalmaz <sup>8</sup> ököl <sup>9</sup> előre <sup>10</sup> merően <sup>11</sup> dadog <sup>12</sup> félig nyílt <sup>13</sup> eltűnik <sup>14</sup> lármázó <sup>15</sup> ordító <sup>16</sup> órjöngő <sup>17</sup> megöl <sup>18</sup> megutál <sup>19</sup> szán.

Ante agmen equitabat miles cum tabula, in qua scriptum erat: «Iesus Nazarenus, rex Iudeorum.»

Cum Marcus ad eum locum pervenisset, ictus<sup>20</sup> malleorum<sup>20</sup> audivit; dein vidi magnam crucem in sublime<sup>21</sup> levavi de eaque pendere regem Iudeorum nudum, cruento vulneribusque cooperatum, spineis sertis coronatum. Ita passis manibus inter caelum et terram pendebat. Duo latrones a dextra et sinistra in crucem acti erant.

Sub cruce milites sedentes de vestibus eius sortiebantur;<sup>22</sup> Iudei praetereuntes iactatis pugnis Iesum cruci affixum illudebant.<sup>23</sup>

— Si es Filius Dei, descende de cruce!

— clamat sacerdos quidam Iudeus.

— Alios adiuvit — clamat pharisaeus — seipsum adiuvare non potest.

Aliis venientibus ac praetereuntibus verba ludibriosa,<sup>24</sup> veluti sagittae venenatae,<sup>25</sup> vi rum in crucem actum percutiebant.

Subito magnum fit silentium; omnes intenti tacebant, dum Iesus magna voce clamat:

— Dimitte,<sup>26</sup> Pater, eis, quia nesciunt, quid faciant.

Marcus his verbis auditis in genua pro cibuit.

— Quisnam — reputat secum — unquam audivit quemquam morientem pro suis inimicis supplicare? Tantum amorem nemo unquam vidit! Quod iste verbis pronuntiavit: maximum esse amoris praeceptum, id morte comprobat. Solus Deus tam magnifice atque auguste agere potest.

Marcus ad crucem penetrat,<sup>27</sup> ut, priusquam Iesus moreretur, unum saltem aspectum eius exciperet.<sup>28</sup> Bracchiis<sup>29</sup> suppliciter extensis balbutit:

— Quid isti, o Domine, tibi fecerunt??!

Tum Iesus oculis in eum coniectis quasi lucis radium in animum eius immisit.

— Redemptus sum<sup>30</sup> — ait secum gaudio exultans. — Repperi veritatem. Penes te est, Domine, veritas.

Interea in cruce incipit collectatio<sup>31</sup> morientis.<sup>31</sup> Corpus vulneribus tectum tremere coepit, mites oculi fracti sunt.

Marcus inplexis<sup>32</sup> digitis in colle stans crucem suspiciebat. Repente lumen in animo ortum est; manifestam videbat sacrificii magnitudinem: Iesum Nazarenum mori, ut homines a peccatis redimeret et beatos redderet. Se ipsum pro hominibus immolare;<sup>33</sup> id esse sacrificium sanctissimum.

Iesus Nazarenus reapse<sup>34</sup> in cruce mortuus est. At tum ostendit suam divinitatem. Sextā enim horā, cum Servator animam ageret,<sup>35</sup> subito caelum obscuratum est; sol nube obductus est,<sup>36</sup> ne mortem sui Creatoris acerbam videret.

<sup>20</sup> kalapácsütés <sup>21</sup> magasba <sup>22</sup> sorsot vet <sup>23</sup> gónyol  
<sup>24</sup> gónyos <sup>25</sup> mérgezett <sup>26</sup> megbocsát <sup>27</sup> hatol <sup>28</sup> felfog  
<sup>29</sup> kar <sup>30</sup> megvált <sup>31</sup> haláltusa <sup>32</sup> összekulcsolt <sup>33</sup> tel  
<sup>34</sup> valóban <sup>35</sup> haldolik <sup>36</sup> eltakar.



Societas Philologorum Budapestinensis a. d. XVIII. Cal. Febr. in aedibus Academiae Litterarum Hungaricae celebravit memoriam Ulrici Wilamowitz Moellendorff, peritissimi atque inclutissimi illius litterarum Graecarum Latinarumque in Germania cultoris, qui iure a doctissimis gloriose cognomine «principis philologorum» ornatus est.

In coetu celeberrimo Carolus Kerényi de Wilamowitzii philosophia monumentisque terrae Hungaricae vetustissimis habuit orationem, consensu omnium, qui aderant laudatam et comprobata.

Imprimis orator praecepta<sup>1</sup> artis<sup>1</sup> et studia Wilamowitzii praecipua descriptis laudatique eius singularem<sup>2</sup> naturam<sup>3</sup> ac indolem<sup>3</sup> nec non industriam et navitatem,<sup>4</sup> qua totam antiquitatis culturam amplexus scientiam rerum antiquarum immane quantum promovisset rationesque<sup>5</sup> rerum<sup>5</sup> investigandarum<sup>5</sup> non modo in patria sua, sed paene in toto orbe terrarum immutasset. Wilamowitzius enim — dixit orator — antiquarum litterarum studia in Germania, usque ad suam aetatem etiamsi sedulissima cura a viris doctis culta, tamen siccitate<sup>6</sup> quadam torrida<sup>6</sup> taediique<sup>7</sup> plena<sup>7</sup> et paene odiosa, novo quodam sensu, mente ac ratione indaganda colendaque esse praedicavit procreavitque eam antiquitatis scientiam, per quam totius antiquitatis mentem et animum rectius ac melius cognoscere possimus.

<sup>1</sup> tudományos módszer <sup>2</sup> páratlan <sup>3</sup> egyéniséggé  
<sup>4</sup> buzgalom <sup>5</sup> a kutatás módjai <sup>6</sup> túlságosan száraz  
<sup>7</sup> unalmas,



Tum validam illam doctissimi Germani auctoritatem illustravit orator, qua etiam philologis nostris vias ac rationes monstrasset, quibus historiam<sup>8</sup> terrae Hungariae perantiquam<sup>8</sup> investigarent, cum pro certo affirmasset incolas regionum Hungaricarum iam multo prius, quam Romani ad eos venissent, usu<sup>9</sup> vitae<sup>9</sup> cultioris<sup>9</sup> et humanitatis cum populis ac gentibus provinciarum Romanarum coniunctos fuisse cumque illis commercium<sup>10</sup> habuisse.

**Sophus Michaelis**, Danorum huius temporis unus omnium scriptor maximus annum agens sexagesimum septimum Hauniae<sup>11</sup> mortem obiit. Anno 1865. in urbe Odense, e familia paupere est natus studiisque in universitate Hauniensi finitis plurima opera composuit. Annum agens vicesimum tertium, anno 1889. edidit carmina, duobus annis post fabellas,<sup>12</sup> quas secutae sunt fabulae,<sup>13</sup> quae dicuntur Romanenses.<sup>13</sup> Ex his notissimae sunt «Äbelö» et «Homines, qui e multis sunt.»<sup>14</sup> Michaelis etiam scriptor fabularum scenicarum excelluit. Una ex his, cui titulus est «Nuptiae tuniultuariae»,<sup>15</sup> ab Alberto Homonnai in linguam Hungaricam conversa anno 1908. Budapestini, in Theatro Hungarico ingenti omnium assensu est edita.

<sup>8</sup> östörténet <sup>9</sup> civilizáció <sup>10</sup> kereskedelmi összeköttetés <sup>11</sup> Kopenhágára <sup>12</sup> novella <sup>13</sup> regény <sup>14</sup> «Hét-köznapi emberek» <sup>15</sup> «Forradalmi nász».



### LOCOSA.

### NATIONUM<sup>1</sup> SOCIETAS<sup>1</sup> ATQUE DISCRIMEN INTER IAPONIAM ET SINAS.

*(Ex urbe Gian-cian nuntiatur:)* «Pars urbis Shang-hai a Iaponiis expugnata est. Urbs tota incendio flagrat.<sup>2</sup> Viae ac plateae ingenitem tormentorum<sup>3</sup> bellicorum<sup>3</sup> fragore resonant. Tabernis ubique expilatis<sup>4</sup> atque devastatis intra paucos dies ingens fames instabit.<sup>5</sup>

*(Genava nuntiatur:)* «Nationum Societas decrevit, ut paucis hebdomadibus fidem<sup>6</sup> foederis firmaret,<sup>6</sup> quo in finibus Manchouriae ad Russiam spectantibus usus litterarum Cyrylicarum<sup>7</sup> in obsignandis vectorum syngraphis in posterum tolleretur.»

### MUSCA ET PULEX.<sup>8</sup>

Aliquando musca et pulex inter se convernerunt. Pulex e musca quaerit:

— Cur habes, sodalis, tantos oculos?  
Musca respondet:

— Propterea quod cum in caput calvi<sup>9</sup> hominis involo idque compingo et homo iratus me usque ad mortem percutere vult, tamen non me, sed caput sibi percutit, ego tam ex animo<sup>10</sup> rideo, ut oculi mei emineant.<sup>11</sup> A multis risibus tantos oculos habeo.

Hoc pulex quoque risit.

— Age tu — ait musca — cur tam curvum<sup>12</sup> tergum habes?

Respondet pulex:

— Propterea quod ego vel gravissimum hominem levare possum. Multae levationes tergum meum incurvant.<sup>13</sup>

Musca hoc adeo risit, ut oculi magis eminerent.

\*

Militi, qui tota nocte comissatus erat,<sup>14</sup> non erat opera<sup>15</sup> barbam radere. Optio<sup>16</sup> eum increpat:

— Cur non tibi barbam rasisti? Statim appare ad centurionem.

Et optio iter ingreditur; pone sequitur miles. Cum ad centurionem intrassent, dicit optio:

— Denuntio, centurio, istum hominem barbam sibi non rassisce.

Centurio respondet:

— Tere<sup>17</sup> tibi, optio, melius oculos. Nam isti homini tam pure barba rasa est, ut recens e tonstrina<sup>18</sup> venisse videatur.

Optio maxime stupet, non suspicans militem, dum in longa via venirent, barbam sibi rassisce.

\*

Dum homo dormiebat, equus eius furtim abductus est. Homo experrectus<sup>19</sup> clamat:

— Quid video? Egone sum Ieremias, an non? Si ego sum, equum amisi, si non sum, pabonem<sup>20</sup> inveni.

V. Fehér.

### IN SCHOLA.

Scriptum tuum — dicit magister Petro — optimum esse iudico, sed... ad verbum cum illo, vicini tui opusculo congruit. Numquid de re putandum est?»


«Si res ita se habet, — respondet discipulus male salsus — etiam vicini pensum laude dignum censeo!»

*(Kőszeg.)*

Tiburtius Rachl  
disc. V. cl. gymn. realis.

\*

<sup>1</sup> Népszövetség <sup>2</sup> lángban áll <sup>3</sup> ágyú <sup>4</sup> kirabol <sup>5</sup> fenyeget <sup>6</sup> ratifikál <sup>7</sup> cirilbetűk <sup>8</sup> bolha <sup>9</sup> kopasz <sup>10</sup> jóízűt <sup>11</sup> kidüllek <sup>12</sup> görbe <sup>13</sup> meggyörbit <sup>14</sup> mulat <sup>15</sup> nem ért rá <sup>16</sup> örmester <sup>17</sup> megdörzsöl <sup>18</sup> horbály-mühely <sup>19</sup> felébred <sup>20</sup> taliga.

**AENIGMATA.**

nam» in urbem traxerunt; 20. urbs Moesiae; 21. ardor animi. Alio vocabulo: temeritas; 22. fratres bibliopolae in urbe Roma temporibus Horatii Flacci.


*Series libratae:*

1. philosophus Graecus, a Lucretio «Graia gentis decus» nominatus; 2. animal agreste, pedibus celere; 3. frater Thyestae; 4. alio vocabulo: lector, recitator; 6. qui aliquo crimen accusatur; 12. coniunctio adversativa; 14. consonans est; 15. urbs Siciliae, hodie: Castel a Mare di Golfo; 17. pars Graeciae; 19. imperativus verbi: stare.

*Stephanus Elek*

disc. VIII. cl. gymnasii  
Helveticae confessionis  
Budapestinensis.

## II.



Phoebi, tertium adiectivum, e substantivo: «iuncus» derivatum, quartum urbs Lyciae, quintum adverbium, alio vocabulo: «crebrius», sextum cognomen Bacchi, septimum animal domesticum.

Si litteras recte inserueris, series libratae eadem vocabula reddent, quae series directae.

## I.

*Series directae:*

1. urbs patria Parmenidis et Zenonis; 2. alio vocabulo: leaena; 4. adverbium; a. v.: manifeste; 5. titulus cuiusdam fabulae Pacuvii; 7. calcar, stimulus. Apes eo pungunt; 8. sapor, gustatus. Eo explorantur epulæ; 9. consonantes; 10. pars Asiae, hodie: Kurdistan; 11. condimentum ciborum; 13. a. v.: Troianus, Troicus, Troius; 14. coniunctio adversativa; 16. dea, «frugum mitissima mater» a Romanis nominata; 18. quem Vergilius «fabricatorem dolii» in Aeneide appellat; 19. cuius hortatu insidiisque Troianie equum ligneum, «fatalem machi-

**Solutiones aenigmatum numeri IV.**

I. Maior Aethiops mater est minoris. — II. 1. Procas; 2. Silvius; 3. Tarquinius; 4. Terra; 5. Metaurus; 6. beatus; 7. debet; 8. Miletus; 9. Belides; 10. Semele; 11. Varus; 12. Pistoria. «Slat sua cuique dies; breve et irreparabile tempus omnibus est vitae.» (Verg. Aen. X. 467—8.) — III. Nomen imperatoris Romani: Augustus.

**Aenigmata recte dissolverunt:** Anna Böhm, Elis. Bógyi (Budapest), Paulus Drótos (Miskolc), Hel. Kaluza (Budapest), Rud. Kancz (Szombathely), Jud. Kosáry (Budapest), Rud. Orbán, Lad. Pichler (Pécs), Gabr. Polgár (Szombathely), Marianna Renner, Maria Schuster, Georgia Szilvássy, Gabr. Tomits (Budapest), Marg. Vadas (Szombathely), Tib. Zöhls (Budapest).

Praemium Paulo Drótos, Gabriellae Polgár et Rudolpho Oroán sorte obvenit.

**Solutiones aenigmatum numeri V.**

*Sui cuique mores singunt fortunam.* — I.: Papaver. — II.: Malva. — III.: Cucurbita.

**Aenigmata numeri V. recte dissolverunt:** St. Prieszter, Zolt. Székely, Nic. Szollár (Veszprém), Marianna Renner (Budapest), Paulus Drótos (Miskolc), Georgia Szilvássy, Tib. Zöhls (Budapest), Rudolphus Kancz (Szombathely).

Praemium Nicolao Szollár et Mariannae Renner sorte adiudicatum est.



G. Weiszkrón (Debrecen): Alia quoque tua exspecto. — E. Zaitschek (Budapest): Adhibe, quaeso, patientiam, dum satis spatii temporis que inveniam, ubi commemorationem tuam centenariam, in memoriam Ios. Haydn scriptam publici iuris facere possim. — A. Dorozsmai (Budapest): Nomina eorum, qui aenigmata (cuncta vel partem) dissolverunt, in urna ponuntur. Cuius sors urna versata exit, praemio afficitur. — Paulus Drótos (Miskolc): Epistola tua rite mihi redditia est. Gratias.

Moderator ephemерidis EUGENIUS FRAY DR.

Budapest, I., Verpeléti-út 22.,

ad quem epistulae et manuscripta mittantur.

Administratio ibidem.

Sumptibus Societatis Magistrorum Intermedi-scholarium Catholicorum. — A Katholikus

Középiskolai Tanáregyesület költségén.

(Praeses: STEPHANUS ACSAY DR., elnök.)